



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

1. De disciplina religiosorum in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

SECUNDVS LIBER

ERVDITIONIS RELIGIOSO-

rum, qui ordinat proprium corpus Religiosi:

Et continet tres partes. In prima parte osten-

dit quòd corpus nostrum est disciplina-

bile. Et agitur de Disciplina

in communi.

CAPVT I.



IN parte precedenti ostensum est, quomodo ille qui mundum reliquit, & ad religionem venit, debeat se habere ad mundum: in hac parte ostendendum est, quomodo se debeat habere ad corpus proprium. Inimicatur mundus Deo & seruis eius, secundum illud: Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit. Corpus etiam inimicatur spiritui, secundum illud: Caro concupiscit aduersus Spiritum. Hostes isti dissimiles sunt. Inimicitia mundi sunt implacabiles: & habet mundus pugnatores innumerabiles: ideo expedit seruis Dei hostem istum fugere. Alium verò hostem, scilicet corpus, non possunt fugere vel fugare: nec licet eis illud perimere. Necessariò enim habent illud circumferre: quia alligatum est spiritui; & Dei ordinatione debent ei necessaria providere. Sed diligenti studio & labore, ille qui est in religione, ad hoc debet intendere, vt hunc hostem in seruum disciplinatum, & fidelem possit conuertere.

Ioan. 15.

Gal. 5.

Et

*Matth. 11.
Glossa or-
din. ibi.*

Et notandum quòd corpus ad seruiendum spi-
ritui datum est. Rebellio corporis ad spiritum
non fuit ab initio, sed ex vitio: vnde potest cor-
pus in seruitutem spiritus redigi. Redigendo ve-
rò, in principio est molestia & difficultas: sed ad-
iutorio diuinę gratiæ, & longa consuetudine ef-
ficatur, vt ibi sit iucunditas. Vnde super illud: Iu-
gum meum suaue est, dicit Gloss. Quomodo iu-
gum Christi suaue est, cùm dicatur, arcta est via
quæ ducit ad vitam? Sed angusta est: quia non
nisi angusto initio incipitur: processu verò tem-
poris, ineffabilis delectationis dulcedine dilata-
tur. Et in lib. de Vita solitaria, distinguuntur tria
genera hominum, ex quibus constat omnis sta-
tus religionis: scilicet incipientes, proficientes,
& perfecti. In statu verò istorum tres gradus di-
stinguuntur. In conuersione incipientis, initium
boni est obedientia: proficientis, subiicere cor-
pus suum, & in seruitutē redigere: perfecti, vsu
boni consuetudinem veritatis in delectationem.
In eodem: Inordinata natura per peccatum, & à
conditionis suæ rectitudine exorbitans, si fuerit
ad Deum conuersa, recuperet citò, pro modo ti-
moris & amoris quem habet ad Deum, quęcun-
que perdidit auersa. Et vbi cœperit spiritus re-
formari ad imaginē conditoris sui, mox etiam
reflorescens caro, ex voluntate sua incipit con-
formari reformato spiritui; nam & contra sen-
sum suū incipit eā delectare, quicquid delectat
spiritū suum. In eod. Facillimū & delectabile ef-
fet, adiuncto amoris Dei cōdimento, secundum
naturā viuere, si insania nostra nos permitteret:
qua sanata, statim naturalibus natura arridet.

Quod